Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2133

Quelle:
Copyright:

exarata, cujus initium: *Interrogandum eſt quis primus rogauerit deum ut anime habeant requiem in penis inferni* &c. *Pauli* Ἀναβατικον ediſſeritur in *Fabricii Cod. Apocr. N. T.* P. I. p. 943. Memoratur tamen ibi etiam Revelatio noſtra, quam Καταβατικον dicas, e *Cod. Coll. Merton. Oxonii*, quamvis Codex ille *Inferno* ſubſtituat *Purgatorium*.

DLXI.

294 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 289. f. partim lineis longis, partim per 2. columnas exaratus, olimque *Monaſterij Sancte Marie alias Scotorum wyenne*, complectitur ſequentia. I. *Incipit liber de habundancia exemplorum Magiſtri Alberti Epiſcopi Ratisponen. ad omnem materiam.* Initium: *Quoniam plus exempla quam uerba mouent ſecundum Gregorium* &c. Finis: *quod non valde timeat omnis homo.* Editus eſt Libellus hic *Sec.* jam XV. *ſ. l.* et *a.* ſed, ut videtur, *Ulmae* per *Joh. Zeiner* circa 1480. *f.* hoc eodem Titulo, quo tamen illum neque in *Opp. omnib. Alberti Lugd.* 1651. T. XXI. f. in quibus plane deſideratur, neque in *Scriptt. O. P.* reperies. At vero *Trithemius* alio illum Titulo *n.* 466. repraeſentat, ſcilicet *de Multiplici Timore*, quo etiam a *Quetifo* et *Echardo* T. I. p. 181. citatur, quin tamen eum tractaſſe videantur. Summe itaque rarum eſſe oportet. Repetitur ad calcem *Cod.* noſtri Titulus ſuperior, additurque ſcriptionis annus 1434.

II. *fol.* 65. p. 2. Decreta Concilii *Baſileenſis* lata *Seſs.* XXI. de Cultu divino in Eccleſia et Choro. Prout leguntur in *Collect. Labb. edit. Venet. T. XVII. col.* 317. *Decr.* VIII. pro: *Miſſa — per ſecretas orationes ita ſubmiſſa voce dicitur, quod a circumſtantibus audiri non poteſt*, recte habetur: *praeter ſecretas orationes* &c. In fine ſubditur: *Datum Baſilee in ſeſſione publica die iouis menſis iunij Anno &c. 35. idus ſcilicet 5 ante feſtum pentec.*

III. *fol.* 68. Brevis Tractatio *de triplici Indignitate* accedendi ad Sacramentum Altaris orta vel a natura, vel a gravi peccato, vel a cenſuris eccleſiaſticis. Initium: *De perceptione venerabilis ſacramenti dicit apoſtolus priore ad Cor. XI°. Qui manducat indigne* &c. Finis: *vt in ca° eos de ſententia excommunicationis preallegato libro 6°.*

IV. *fol.* 73. *De vicio proprietatis religioſorum*, vel, ut ex calce praeoccupo: *Excerptum ex tractatu magiſtri ac fratris binrici de Coeſueldia ordinis Carthuſien. contra proprietates religioſorum. Weſtphalus* hic, Priorque *S. Mariae* prope *Montem S. Gertrudis* in *Hollandia*, defunctus 1410. multa reliquit inedita, quae habes in *Trithemio*, in *Petreji Bibl. Carth.* p. 127. et *Bibl. Belg. Foppenii* T. I. p. 438. inter quae et Opus noſtrum.